

DE CONDITIONE, ET STATU BONORUM
post judicium.

DISTINCTIONIS QUADRAGESIMÆ-OCTAVÆ SYNOPSIS.

Sol, & luna suos venienti judice motus,
Sistunt, at neuter desinet esse tamen.

Sic incipit: Solet etiam queri.

Sic terminat: Non memini me legisse.

1. Connectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister
de ordine, formâ, & modo judicij, & judicandorum; sed in
præsenti determinat de formâ, potestate, majestateque judicantis: er-
go rectum inter se ordinem ac methodum servant.

2. Consequentia probatur: A formâ, ordine, & modo judicij, &
judicandorum, ad formam, potestatem, & majestatem judicis descendere, valde congruum, consentaneumque rationi videtur, eò quod ha-
bitus, & maiestas judicis ad judicij solemnitatem multùm conserat:
ergo si Magister in superiori distinctione agit de formâ, modo, & or-
dine judicij, & judicandorum; & in præsenti determinat de formâ,
& majestate judicis, non illepidè inter se hæ copulantur distinctiones.

3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipus partes. In qua-
rum primâ detegit Magister, in quâ formâ Christus Dominus ad ju-
dicium veniens apparebit. In secundâ vero statuit locum, ubi judicium
peragendum erit. In tertâ autem, & ultimâ subjungit, quomodo cor-
poribus cœlestibus majorem, post judicium, claritatem præstabit.

4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ ostensione, hæc prima pro-
ponitur thesis: *Christus Dominus apparet omnibus in forma humana,*
divina virtute vivos, & mortuos judicabit. Quam primo suadet Magi-
ster ex Zachariâ Prophetâ cap. 12. formam judicis referente, & de re-
probis sic alloquente: *Et aspicient ad me, quem confixerunt.* Sed repro-
bi in formâ humana Christum Dominum confixerunt: ergo quia in
eadem formâ apparebit iis, & omnibus aliis, ut virtute divinâ judicet
vivos, & mortuos.

Se-

5. Secundâ suadet ex Joanne cap. 5. dicente: *Pater non judicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Sed hoc non est ita accipien-
dum, ut solus Filius iudicet, & non Pater & Spiritus Sanctus, sed quia
Filius in formâ humana cunctis in iudicio spectandus apparebit, &
non Pater, nec Spiritus Sanctus: igitur Christus Dominus virtute di-
vinâ omnes judicabit gentes in formâ humana apparendo.

6. Tertiâ etiam ex Augustino suadet lib. de Trinit. cap. 3. 16.
& 17. assertore: *Omne iudicium dedit Pater Filio, quia forma Filii hu-
mana cunctis in iudicio apparebit.* Sed tunc Christus Dominus omnino
exercet iudicariam potestatem, quam ipsi contulit Patrem: ergo si ju-
dicium dedit Filio, quia forma Filii humana cunctis in iudicio appa-
rebit, in hac, & non alia formâ omnibus scipsum videndum exhibebit.

7. Deinde, nonnulla consona his subdit Magister in litterâ. Pri-
mo, quod reprobi in die illâ formam divinitatis Christi Domini intue-
ri non poterunt. Primo: Quia divinitas, ut potè objectum valde super-
num, nequit attingi nisi à frumentis summa felicitate, & gaudio; sed
reprobi nullâ felicitate, gaudioque vero fruuntur; imò omni tristitia,
summaque infelicitate afficiuntur: ergo reprobis non est datum posse
intueri formam divinitatis Christi Domini.

8. Secundò: Hoc ex textû litterâ ratiocinium p̄t̄mūnit Magister
apud Iliam cap. 26. dicentem: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Sed impii nomine, intelligimus reprobum; sicut etiam nomine
gloria Dei, ejus divinitatem: ergo si impius nequit videre gloriam
Dei, nec reprobus poterit ejus divinitatem intueri.

9. Tertio: Eti Pater, & Spiritus Sanctus una cum Filio debent
reprobos judicare, hi tamen non videbunt Patrem, aut Spiritum San-
ctum, eò quod sint Filio in divinitate aequales; sed reprobi divinitatem
Patre, & Filii intueri nequeint: ergo nec Filii divinitatis formam, quæ
est eadem cum Patre, & Spiritu Sancto, poterunt in illâ ultimâ judi-
cii die intueri.

10. Quarto: Ut potentia quævis summe valeat attingere objectum,
debet cum illo congruam proportionem habere; sed divinitas est ob-
jectum adeo improportionatum reproborum intellectui: igitur repro-
bi in iudicio non peterunt Christi Domini divinitatem intueri. Major
est evidens apud Philosophos. Minor similiter in Theologâ perspicuè
est explorata; cum damnatis deficiat lumen gloriae, aut ipsa efficiâ di-
vina ipsis sufficienter, & modo speciali applicata. Consequentia legi-
time deducitur: ergo.

11. Sed oppones primo: Nemo ex alicujus boni amissione plenè
pu-

punitur, nisi illud cognoscat, eò quòd res incognitæ nullam in sensum delectationem, aut tristitiam ingerant; sed reprobi plene puniuntur carentiâ visionis beatæ: etgo necessariò debet manifestari ipsis, quam bona sit visio Dei; sed hoc nequit assequi, quin Christi Domini intueatur divinitas: ergo reprobis dabitur in judicio intueri divinitatem Christi.

12. Respondetur negando primam, & ultimam Consequentiam. Quia ut reprobi plenè, & perfectè carentiâ visionis beatæ puniantur, non opus est, ut aliquandò divinitatem facialiter, aut per speciem intueantur; sed sufficit, quòd per signa, viderint. Hæc etenim cognitio reprobis non denegatur, eò quòd summam Dei bonitatem, ejusque majestatem, & cætera alia divina attributa percipient, quod revera satis est, ut plenè puniantur ex jacturæ tantorum bonorum cognitione.

13. Oppones secundò: Reprobi ad aspectum Christi Domini debent terreri, ut innuit Magister in litterâ; sed quod summè terret, est divinitatis potestas, sive illius majestas, juxta illud Matthæi cap. 24. *Veniet Filius hominis cum virtute magna, & majestate.* Ergo quia reprobi in judicio intuentur terriblem formam divinitatis Christi Domini.

14. Respondetur negando Consequentiam. Quia, ut Christus Dominus appareat terribilis impiis, sive in reprobos terrorem ingerat, non opus est, ut ejus intueatur divinitas, sed quòd in formâ gloriosâ appareat, quam reprobi cum confusione, acerboque horrore intuentur ob conscientiâ remorsum, & ferendæ sententiæ mæstissimam expectationem. Unde, et si in eâdem formâ ab omnibus prospiciatur, erit terrificus impiis, & mitis justis; funesta nox malis, & hilaris dies bonis.

15. Secundò, in ipsâ textûs litterâ etiam subdit Magister, quòd Christus Dominus in judicio omnibus apparebit secundùm humanitatem gloriosus. Et probat primò ex Divo Augustino lib. 1. de Trinit. cap. 3. 16. & 17. dicente: *Forma ergo humana in Christo glorificata videbitur à cunctis;* sed ex eò quòd sic ab omnibus sit videnda Christi Domini humanitas, apparebit secundùm eam gloriosus: ergo in judicio ab omnibus intuetur Christus in formâ gloriosâ.

16. Etiam sic secundò ex appositis in litterâ probari poterat: In primo adventu, ut alibi expendebamus, apparuit Christus Dominus humili, abjectus, & passibilis, eò quòd adventus ille fuerit in infirmitate; sed secundus erit in virtute, & majestate magnâ: ergo apparebit omnibus secundùm humanitatem gloriosus.

Ter-

17. Tertiò: Talis in judicio apparebit Dominus, quem oportet apparere ad confusione, & convicium reproborum, necnon & lætiam, decorumque electorum; sed reprobi maximè confunduntur in gloriâ, & exaltatione illius, quem despicerunt, & è contra, eleeti lœtan-
tur, & exultant: ergo debet apparere omnibus in humanitate gloriosâ.

18. Sed oppones primo Isaiam cap. 26. jam supra adductum, & dicentem: *Tollatur impius, ne videant gloriam Dei.* Sed si impiis, sive reprobi viderent Christum Dominum in judicio secundùm humanitatem gloriosum, etiam gloriam Dei intuerentur; cùm idem sit intueri humanitatem gloriosam, ac Dei gloriam videre. ergo si impiis repugnat videre gloriam Dei, etiam repugnabit ipsis & humanitatem glorio-
sam intueri.

19. Respondeatur ex Augustino in litterâ negando Minorem, & Consequentiam. Quia humanitatis Christi Domini gloria species ab omnibus intraretur in judicio, cùm sub illâ debeat vivos, & mortuos judicare formâ: At impiis tolletur, nè videant gloriam Dei, sive ejus divitatem, cùm solum mundis corde sit datum eam videre, eò quòd sit eis collata vita æterna: Unde, cùm hæc repugnet reprobis, solum intueri poterunt humanitatem gloriosam ad eorum confusione, & convicium; non verò gloriam Dei, sive ejus divinitatem ob maximam improportionem.

20. Oppones secundò: Quemadmodum oculus corporeus se habet ad objectum corporeum; sic spiritualis oculus, sive intellectus ad objectum spirituale, deitatem quippe: ergo à quæ erit improportionatus oculus corporeus ad objectum materiale gloriosum, ac oculus spiritualis, sive intellectus ad objectum spirituale supernum; sed reprobi in judicio non poterunt divinitatem Christi Domini intueri, ut pote objectum supernum, & improportionatum: ergo neque humanitatem glo-
riosam ob eandem improportionem.

21. Respondeatur cum Magistro in litterâ negando Consequen-
tiā, & paritatem. Quia nullum est simile de luce spirituali ad mate-
rialē lucem; cùm illa plus notabiliter peccatoris oculum spiritualem
excedat, quam lux corporis gloriosi oculum corporis passibilis. Ta-
men oculus corporeus reproborum proportionabitur objecto materia-
li gloriose, nempè humanitati Christi gloriae, ut ipsam videndo, ti-
meant, & timendo, eorum redundantur visus, & confundantur; cùm
hæc ad acerbiorē pœnam ipsis infligendam multò conferant: At di-
vinitatem intueri non poterunt, nè gaudeant. Divinitas enim sine gau-
dio videri non potest; quod necessariò in gaudiente vitam inducit æter-
nam,

nam, omnino tamen reprobis reluctantem.

22. Oppones tertio: Christus Dominus ut innuit littera, quanvis revera sit benignus, & lenis, tamen se exhibet terriblem reprobis: ergo ob eadem rationem, esto sit in humanitate gloriosus, poterit ipsis apparere inglorius.

23. Respondetur concessio Antecedenti, negando Consequentiam, & paritatem. Quia Christus Dominus dicitur terribilis, & lenis respectu sui ad alterum; ideoque, quanvis revera sit benignus, & placidus, potest a reprobis intueri ut terribilis, eo quod ipsum timeant, ut passim in quounque alio experimur objecto. Ast apparere gloriosum, & non gloriosum denotat dispositiones ex parte objecti visibilis, quod semper apparere tenetur modo quo est, nisi aliter fiat per deceptionem, aut miraculum ad divinam virtutem. Cum ergo Christi Domini humanitas sit gloria, & ita videntibus se exhibeat, nequit apparere non gloria, nec sic a reprobis intueri.

24. Tertio, in ipsis textus littera subdit Magister, & per simile quoddam expendit, quod sicut Christus Dominus secundum formam servi dicitur judicaturus, cum tamen judicandi potestas sit munus divinitatis proprium, eo quod secundum humanitatem appareat judicaturus; ita secundum formam humanam arrogat sibi mortuorum suscitacionem, quia secundum illam meruit eorum resurrectionem.

25. Hoc etenim quodam Augustini testimonio supra Joan. tract. 23. venuste expendit Magister: Ecce secundum formam humanitatis dicitur suscitatus corpora, & judicaturus. Judicaturus autem, quia illa forma cunctis in judicio apparebit: Et suscitatus, quia in eadem forma meritum, & causam resurrectionis nostrae suscepit. Ergo etsi divinitatis sit proprium suscitare mortuos, ipsosque judicare; tamen Christo Domino secundum humanitatem hæc munia aptantur, qui in ea resurrectionem nostram meruit, estque ipsis exemplaris causa, & tandem secundum ipsam, ut judicer homines, in judicio apparebit. Et hæc de primâ distinctionis parte sufficient.

26. PRO SECUNDÆ vero partis perspicua indagine, hæc secunda statuitur thesis: Christus Dominus ad judicandum non descendet in vallem Josaphat. Hanc deducit Magister ex genuina textus Joelis cap. 3. expositione, & quadam super illum elegantis Glossâ, ut expressius constabit ex infra apponendis.

27. Probat primò Magister ex Glossâ super hunc Joelis locum cap. 3. Et congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo ibi cum eis. Modo ait Glossa Ordinaria in initio hujus capituli:

tis: Hoc quidam pueriliter intelligunt, quod in valle, qua est in latere montis Oliveti, descensurus sit Dominus ad judicium, quod frivolum est. Ergo nulla ratio firma, sufficiensque ex Joelis textu valet deprehendi, ut Christus Dominus sit descensurus in vallem Josaphat ad judicandum.

28. Secundò, ex Chrysostomo hom. de Cruce, & Latrone, tom. 5. sic iterum ipse probat Magister: Angeli deferent ante eum signum Crucis. Ubi docet, justos ad judicium in aera elevandos unâ cum Christo; sed ex eo quod justi sint in aera elevandi cum Christo, & Angeli deferant ante eum signum Crucis, recte colligitur, Christum non esse descensurum ad judicandum in vallem Josaphat: ergo.

29. Tertiò confirmat ex illo Apostoli 1. ad Thessal. cap. 4. toties inculcato: Rapiemur cum illis obviam Christo in aera, &c. Ergo quia Christus Dominus in aere sedebit cum electis, dum venerit judicare sæculum per ignem; sed dum in aere sedet Christus Dominus unâ cum electis ad judicandum, non descendet in vallem Josaphat: ergo ut judicium absolvatur extremum, in hanc Christus non descendet vallem.

30. Quartò suadet ex appositâ Glosâ Ordinaria super Joelis cap. 3. dicente: Quia non in terra, sed in spatio hujus aeris sedebit contra locum montis Oliveti, ex quo ascendit. Sed hæc Glossa satis expresse totam rem his verbis exambit: ergo quia Christus Dominus ad judicandum non descendet in vallem Josaphat.

31. Sed oppones primò ipsum Joel. cap. 3. dicentem: Et congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo ibi cum eis. Sed non congregarentur omnes gentes in vallem, sive terram Josaphat, si ibi non foret descensurus Dominus ad judicandum; igitur Christus Dominus descendet in terram Josaphat, ut ibi dies iudicii absolvatur.

32. Respondetur primò, locum Joelis non ibi in sensu materiali, sed mystico accipiendum fore: Quia vallis Josaphat, vallis judicii Domini dicitur, eo quod Josaphat significet Judicium Domini. Unde Chaldaeus non vertit in vallem Josaphat, sed in vallem divisionis judicij. Christus igitur descendens in Josaphat, solum significat in judicium adveniens, sive in eam aeris regionem, quæ spatio materiali Josaphat respondet juxta alias versiones.

33. Respondetur secundo: Quod etsi judicium in valle Josaphat sit perficiendum; non tamen in eo sensu, quasi omnes judicandi intra ambitum illius vallis comprehendendi debeant; sed quod in ea, & circa eam, sive in adjacentibus locis judicandi consistent; hoc tamen versante discriminé, quod electi præsentes in judicio non manebunt in terra, sed

in aere cum ipso Christo ; reprobri autem in terrâ , ut innuit Apostolus 1. ad Thessal. 4. Unde ad judicium nunquam deveniet Christus in terram , sive in vallem Josaphat.

34. Oppones secundò : Si damnatorum corpora , ultra vallem Josaphat , inter Jerosolymam urbem , & montem Oliveti jacentem , plura alia loca in circuitu occuparent , notabili intervallo à Christo Dominino distarent ; sed ex eò quod sic distarent à Christo Dominino supremo omnium judge , non possent illum videre , nec audiere , quod valde dissonat hujus extremi judicij solemnitati : ergo aut omnes judicandi intra ambitum illius montis comprehendendi debent , aut in valle Josaphat non erit judicium peragendum.

35. Respondeatur negando Minorem , & Consequentiam . Quia , et si reprobri notabili recessu in judicio à Christo Domino distent ; nihilominus tantâ efficacitate , & velocitate sui splendorem , vel speciem , ac etiam vocem illâ die emittet , ut splendore , & voce sparsis per auras , illicò ab omnibus totum illud occupantibus spatium videri possit , & audit̄i , etiamsi divinitus hoc operari oporteat , quin illum ex hoc assuequatur incommodum.

36. Oppones tertio : Christus Dominus ad judicandum non descendet in terram , sive vallem Josaphat , sed unâ cum justis , & electis erit in aere ; damnati verò remanebunt in terrâ ; sed hoc palam contradicit textui Matthæi cap. 25. dicentis : *Et statuet eves quidem à dextris suis , hædos autem à sinistris , id est , statuet justos , & electos à dextris , reprobos autem , & damnatos à sinistris :* ergo hic ordo non poterit congruè aptari , si omnes ex utrâque sorte judicandi , non collocentur in aere , aut terrâ : ergo cùm reprobri non sint elevandi cum Christo in aera , necessè est , ut Christus Dominus descendat ad judicandum in terram , sive in vallem Josaphat.

37. Respondeatur primò negando Minorem , & geminam Consequentiam . Nam ordo judicandorum constitutus à Divo Matthæo cap. 25. concinne salvatur , et si dextera , & sinistra corporis Christi Domini hic ad litteram intelligentur ; quia omnes reprobos , etiamsi in terrâ sint , ad partem sinistram judicis esse collocandos constat ; electos vero , in acre ad dexteram constituendos ; quin opus sit , ut major , aut minor distantia , aut approximatio ad judicem attendatur , ut præfatus ordo situationis aptè , & appositè servetur.

38. Respondeatur secundò , aliam secundum sensum mysticum adhibendo solutionem . Nam dextera , & sinistra , juxta Scripturæ phrasim , significat locum felicitatis , vel infelicitatis , decoris , vel dedecoris.

ris. Sic in suo Elucid sentit Anselmus his verbis : *Ad dexteram , scilicet , sursum in gloria , ad sinistram deorum in terris.* Similiter Hilarius Cant. 28. *In dextera , ac sinistra colocans unumquemque digna aut bonitatis , aut malitia sede constituet.* Ergo licet Christus Dominus in aere unâ cum electis sedeat ad judicandum , reprobis remanentibus in terrâ , potest congruentissimè explicari textus Matthæi , & in sanum , ac catholicum adduci sensum.

39. His sic prælibatis , expendit Magister nonnulla signa proximiora universalij judicio , sive effectus quosdam in illâ die causandos ex virtute , & potestate magnâ judicis advenientis ad judicandum . Nam eò tempore nitida Cœli militia astra varias ac diversas mutationes subibunt. Primò , illa duo luminaria magna Sol , & Luna obscurabuntur ; non proprii luminis adveniente privatione , sed à majori judicis devita claritate.

40. Quod probat Magister ex Luce cap. 21. dicente : *Et erunt signa in Sole , & Luna , & stellis.* Similiter ex Matthæi cap. 24. *Sol obscurabitur , & Luna non dabit lumen suum , & stella cadent de Cœlo , &c.* Sed hæc Evangelistarum loca haud dubiè intelliguntur de tempore adventus Christi Domini ad judicium : igitur majora ac minora Cœli luminaria has mutationes patientur ; non eorum luminis defectu , sed ob iudicis copiosum fulgoris excessum.

41. Secundò : Virtutes Cœlorum , sive Angelî movebuntur , non metu damnationis , vel aliquâ perturbatione pavoris pertessi , sed quædam admiratione eorum , quæ yiderit arrepti. In cuius probatōnis subsidium adducit Magister illud Job cap. 26. his verbis : *Columna Cœli pavent adventum ejus.* Sed Cœli columnæ virtutes sunt angelicæ : ergo in die illâ Angeli admiratione quadam commovebuntur.

42. Tertio : Ante diem judicij Sol , & Luna miram ecclipsim patientur. Quod etiam deducit , & probat ex Prophetâ Joele cap. 2. sic horride inclamante : *Sol convertetur in tenebras , & Luna in sanguinem , ante quam veniat dies Domini magnus , & horribilis.* Sed quando Sol in tenebras convertatur , & Luna in sanguine purpuraset , miram ecclipsim subibunt : ergo ante diem judicij insolitam ecclipsim majora patientur astra. Et hæc de secundâ distinctionis parte sint satis.

43. PRO TERTIAE autem , & ultimæ distinctionis partis pleno captu , hæc tertia , & ultima præfigitur thesis : *Peracta mundi innovatione , omnia Cœli astra incrementa majora lucis accipient , sive lucidiora apparebunt , quam modo sunt.* Quam sub propriis , expressisque terminis adducit Magister in textus littera.